



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 55. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

ruptis, poterimus Deo dicere: *dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Pl. 115.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo.* Joan. 2.

INTEL. Dux impiorum per innumeros dæmones etiam in domum Dei, & religiosam irrumpit; ut mercatum, & divitiarum cupiditatem introducat; Christus autem quasi pugnans, armatâ, & forti manu illos ejicit. REFL. Discamus quod nobis etiam erecto, & forti animo opus sit, ut hostem illum debellemus.

VOL. Excitemus animos nostros sub vexillo Christi militantes: petamus à Spiritu Sancto donum *Fortitudinis*: de victoria non dubitemus, freti auxilio Ducis nostri.

COLLOQ. De duobus vexillis, inhærendo potissimum spiritui paupertatis. RECOLLECTIO.

## MEDITATIO. LV.

*Defugatis è Templo negotiatoribus, primâ vice.* Joan. 2.

Myst. puncti. 2.

CONG. Modo ordinario.

PRÆL. I. *Nummulariorum effudit as, & mensas subvertit.* Joan. 2.

PRÆL. II. Aspicerè mensas illas in Templo.

PRÆL. III. Petere gratiam, expugnandi animo forti cupiditatem pecuniarum, & divitiarum.

M 5

PUN.

**PUNCTUM I. PERSONÆ MEM.** Circumspiciamus Nummularios illos in Templo ad mensas sedentes.

**INTEL.** Alii vendebant boves, & oves, & similia; sed Nummularii vendebant pecunias cum usuris, vel eas commutabant cum damno plurimorum qui ad festum convenerant: & narrantur Sacerdotes in illo turpi lucro etiam partem habuisse.

**REÆL.** Hinc cognoscamus, quod hoc genus cupiditatis, quod in tractatione pecuniarum consistit, foedius sit, & quod cupiditas illa sit arctior, quam queus, ac catena, quàm quævis alia; & quod diaboli etiam in familias religiosas, hujusmodi cupiditatem conetur inducere, incitando personas Deo dicatas, etiam Sacerdotes ad peculia privata &c.

**VOL.** Horrorem concipiamus ab illo vitio, quod Religionum murus, & vita communis evertitur.

**PUNCTUM II. VERBA. MEM.** Audiamus Christum Nummularios illos non solum flagello, sed etiam verbis castigantem.

**INTEL.** Potuit Christus illis objicere illud Davidis Ps. 14. quod ille, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, habitaturus sit in tabernaculo, sive in domo Dei; quodque adeò ipsi indigni sint, qui consistant in Templo. Multò minù tales intrabunt in Templum Cœleste: imò *facilius est camelum per foramen acus transire*, Marc. 1. **REFL.** Hinc colligamus magnitudinem beneficii vocationis nostræ, si modò paupertatem, ut matrem diligamus,

**VOL.** Gratias agamus ingentes Deo, qui ex tot millibus nos vocavit: & statuamus vivere dignè vocatione nostrâ.

**PUNCTUM. III. OPERA. MEM.** Christus non tantum illos ejecit sed insuper *nummulariorum effudit as, & mensas subvertit.* Joan. 2.

**INTEL.** Notemus quò foedior fuit cupiditas & quò laquei, ac catenæ, quibus constricti tenebantur, erant fortiores; eò majori vi opus fuisse. **REFL.** Discamus hinc, quando diabolus correptis injectisq; laqueis, conatur nos ad violandam paupertatem trahere; non languidè, sed forti, & erecto animo contra esse pugnandum: languidos enim, & tepidos Religiosos, parvo peculio æquè constrictos tenebit, quàm Nummularios magno.

**VOL.** Generoso, & vigili animo contra insidias diaboli pugnemus! & laqueos omnes, quibus nos irretire conatur, excutiamus fortiter, ut fruamur plenâ libertate filiorum Dei.

**COLLOQ.** De duobus vexillis, maximè inharendo spiritui paupertatis.

**RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.**